IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI AESTIVO A. MDCCCIL

1849

A DIE XVI M. APRILIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

F. V. Fritzsche

PRAEMISSAE SUNT

QUAESTIONES TERENTIANAE.

SPECIMEN I.

LITERIS ADLERIANIS.

G. HERMANNI mortem tametsi nondum eluximus, ac diu potius hunc Germaniae praeceptorem justo desiderio prosequemur: tamen tali viro non solum piis lacrimis verum etiam labore improbo parentandum est. Nam ne licet quidem Hermanni vitam praeclare actam mente complecti, quin nobis virtutum ejus in mentem veniat: de quarum magnitudine quo diutius cogitaverimus, eo majore nos literarum amore inflammari sentiemus. Sed inter eos scriptores, de quibus Hermannus egregie meritus est aut certe mereri coeperat, fuisse constat Terentium. Quumque recte vidisset, emendationem hujus poetae ab inviolatis legibus artis metricae plerumque suspensam esse: ea in re sic versatus est, ut trimetros, quorum facilior explicatio est, paucis attingeret, in tetrametris autem diligentiorem sibi operam collocandam putaret. Ceterum quod Bentlejo auctore hos Terenti tetrametros numerorum ipsorum elegantia commendari statuebat, haec primum opinio valde nobis minuenda est. Aliter enim Romani ipsi judicabant, in his Quintilianus, qui in Institut. Orat. X, 1: „in comoedia, inquit, maxime claudicamus; licet — Terenti scripta — sint — elegantissima, et plus adhuc habitura gratiae, si intra versus trimetros stetissent.“ Haudquaquam nescivit Quintilianus, quod ei Bentlejus De metris Terent. p. VIII Lips. satis mire opposuit, comoedias totas per omnes actus solis trimetris ne absolvi quidem posse, sed ob id ipsum Terentio ullam comoediam scribendam fuisse negavit: qui ad trimetros a tetrametris detrusus etsi vel sic Aesopi fabulas aliaque latina facere poterat, tamen quid aliud potissimum ageret, Terentio ipsi statuendum erat, non Quintiliano. Neque ad trimetros Terenti, qui ab omnibus jure laudantur, sed ad tetrametros maxime spectavit etiam Priscianus De metris com. p. 410 Gaisf. qui: „miror, inquit, quosdam vel abnegare esse in Terenti comoediis metra, vel ea quasi arcana quaedam et ab omnibus doctis semota sibi solis esse cognita confirmare.“ Et iterum p. 413: „At illud quoque sciendum, quod omnes quidem crebris synaloephis et episynaloephis et collisionibus et abjectionibus s literae sunt usi scandendo versus suos, Terentius autem plus omnibus.“ Hic rursum Bentlejus l. l. p. XX Prisciano ita respondet, Terentium synaloephas illas de industria appetivisse, ut vitiosi in ultimis syllabis ictus vitarentur. At et ipse Terentius postea synaloephas magis

vitavit tetrametrosque scripsit in Phormione quam in Andria rotundiores: et Plautus, cujus tetrametri sine controversia multo elegantiores sunt, tum ictus parum latinos tum etiam synaloephas nimium crebras atque molestas effugit. Quum autem Terentius in vicissitudine non unius generis tetrametrorum versuumque trimetrorum ad Menandri exemplum, ut infra ostendam, partim se composuerit, ipsa etiam metrorum difficultas fortassis hanc vim habuit, ut quem sequi soleret, assequi non posset ac necessario magis variare metra auderet.

Res, de qua dicturus sum, partim etiam ad Plautum pertinet, sed multo magis ad Terentium, apud quem saepe in una eademque scena ingens metrorum varietas reperitur. Possunt utique, ut fit, trimetri tetrametros excipere aut contra, hoc est tranquillus sermo incitatum; possunt denique duo unius generis tetrametri septenarii octonariique conjungi. At saepenumero vel in ipsius Bentleji Terentio contrarii generis tetrametros id est iambicos et trochaicos neque cum bona ratione et sine ullo ordine ac modo consociari videas. Nec raro in tanta et prosodiae ambiguitate et lectionum copia dubitatur, utrum tetrameter iambicus fuerit, an trochaicus: quibus de rebus quid sentiendum sit, inprimis magna quaestio est. Ac Bentlejus quidem quod saepe contendit haud improbante Hermanno in Elem. D. M. p. 169, octonariis trochaicis semper trochaica, septenariis autem iambica metra succedere, eo ad summam rei paene nihil profectum est. Nam de eo potius dubitatur, possintne omnino trochaici cum iambicis tetrametris in eadem scena conjungi et quanam ratione. Atqui de his rebus Bentlejus in universum nihil praecepit, in singulis autem scenis pro imperio egit, ut in tali arbitrio tantaque inconstantia certo consilio vix locus esse potuerit. Nunquam animum induxi, ut Bentlejum tetrametrorum perturbationem aut non perspexisse crederem, aut non improbasse perspectam: sed videtur mihi in Terentio vir tum quoque magnus viam tantum munire voluisse et inchoare magis omnia, quam quidquam perficere. Qui etsi in prosodia versuumque numeris multum vidit tantoque G. Faernum post se intervallo reliquit, quanto ipse nunc ab Hermanno videtur relictus esse: tamen neque Plautum satis diu pervestigaverat, et Terenti editionem (munusculum, ut in praefatione extrema ipse appellat, celeri opera deproperatum) festinare coactus est. Jam vero Hermannus, qui primus ac solus [1]) hunc locum tractare coepit in Elem. D. M. p. 162—191 suamque auctoritatem interposuit, primum recte judicat tantum abesse, ut omnia trochaicorum atque iambicorum versuum genera permisceri

[1]) Post Hermannum qui eandem rem attigerit, scio neminem; sperare tamen licet aliquando id facturum esse acutissimum virum F. Ritschelium, si recte interpretor, quae scripsit in Parergis Plautinis p. 603. Ceterum Plauti, quod nunc ipsum edidisse dicitur Ritschelius, Volumen I nondum vidi.

potuerint (p. 162), ut Bentlejus saepissime nimiam versuum varietatem numero temere mutato in Terentium intulerit (p. 176). Ipse autem Hermannus quum bene praefatus esset, metri variationem a personae motu animique habitu pendere, quo mutato numerum mutandum esse (p. 164—169, ubi variis hujusmodi exemplis utitur): majorem tetrametrorum aequabilitatem ita sibi restituere posse visus est, si ei non tam pro versibus quam pro systematis aut certe systematum simulacris haberentur. Adeo omnes Terenti tetrametros, qui versus meri esse putabantur, in systemata quaedam convertit, id est errore sublato novum ipse errorem substituit. Nam aliae tetrametrorum scenae earumque partes versibus meris scriptae sunt, aliae ad systematum similitudinem compositae, ut vidit etiam Ritschelius in Parergis p. 604: „Ceterum, inquit, de metris continuatis loquor, non de scenis promiscua (?) metrorum varietate factis." Quin etiam ipse Hermannus p. 170 et p. 190 concedit, perraro plures versus inter se per *συνάφειαν* conjunctos esse: ut idem praeter systemata etiam versus quodammodo agnoscere videatur. Sed quum Hermannus de versibus taceat et vix usquam nisi de systematis loquatur: praecepta ejus apparet ad eos tantum locos referri posse, qui systematis continentur. Docuit autem Hermannus, plures versus numero eodem consociari (p. 163) systematum more (p. 169), quo facto vel numeros duorum versuum arcte conjungi vel ultimam versus syllabam elidi posse (p. 172); denique exemplis quibusdam continuorum numerorum enumeratis (p. 176 sqq.) de clausulis systematum duce partim Bentlejo exposuit (p. 180 sqq.). Quae quum vera sint et utilia cognitu, tum ad eam rem, quam nunc agimus, vehementer pertinent. Saepius enim Bentlejus iambicos tetrametros atque trochaicos male permiscuit, sive quod clausula a librariis abscondita ipsum quoque latuisset, sive quod non animadvertisset, duorum versuum numeros arcto vinculo cohaerere. Quamobrem ut illud Hermannus praeclare vidit, Bentlejum tetrametris utrisque, quos dixi conturbatis multifariam errasse, quod nimis systemata neglexisset: ita ipse versibus prae systemate contemtis veram harum scenarum rationem nondum plane indagavit. Nunc mea ipsius sententia non longam orationem desiderat: quid fecerim, indicabo. Legi Terentium secundum Faerni editionem, iterum iterumque totum perlegi. Quo facto quod ex ipsius rei natura fore suspicatus eram, id ipsum plerumque factum animadverti, contrarii generis tetrametros, non ut nimis saepe Bentlejo placuit, mire confusos esse, sed ordine ac ratione conjunctos atque uno velut tenore connexos. Nam una scena longior saepe tribus partibus constat, verbi causa primum iambicis tetrametris, deinde tetrametris trochaicis, postremo trimetris vulgaribus, hoc tamen ordine servato, ut si pro una tres scenae factae essent, unicum in unaquaque metri genus exstaret. Adeo singula metra in talibus scenis non interrupta esse arbitror, sed potius continuata. Quin etiam idem ab eo, quem in hoc genere Te-

rentius sequitur, a Menandro fieri solitum esse infra demonstrabo. Atque, ut equidem opinor, haec illa lex est et quasi regula, quam Hermannus p. 162 maxime requisivit, ut aliquando sciremus, non solum quomodo, sed etiam quando mutari numerus aut posset aut non posset. Quamobrem in Bentleji Terentio aut non recte scriptum aut aliter dimetiendum est, quidquid huic regulae et ipsi repugnat et exceptionibus. Ac de his quidem etsi alius mihi mox erit dicendi locus, tamen jam nunc pauca praefabor, quae quidem ad Hermannum pertineant, in cujus viri cogitatione cummaxime toto animo versor lubenterque acquiesco. Nam illud quidem per se intelligitur, ubicunque sit, quod aliquis sedate interloquatur, senario utendum esse, quum hi versus recitati sint, non ut tetrametri ad cantica relati. Verum id quod non fugit Hermannum p. 168, ubi pauca de multis exempla collegit, solet Terentius ab ipso scenae initio iambicis tetrametris unum septenarium trochaicum vel duo praemittere, quod facit interdum etiam secundo loco, ubi iterum numeri mutantur, velut in Phormione II, 1 init. et iterum ibidem v. 22 sq. Tum Hermannus suo jure miratur, qui factum sit, ut in latina comoedia tetrametri contrarii jungerentur. Quare p. 163 sq. hosce comicos putat quum veterem artem ac disciplinam metricam omnino parum cognitam habuisse, tum per errorem Graecorum systemata saepe ita distinxisse, ut iambos trochaei, trochaeos iambi sequerentur. At praeterquam quod Plauti Terentique metra non veteris comoediae splendore sed tenuitate novae metienda sunt: hi enim Menandri metra, non Aristophanis imitabantur: meliora hoc ipso in loco ab antiquis metricis edocemur, quos Hermannus (ut quod res est dicam) nimis contemnere solebat. Proficiscamur ab Hephaestione p. 118 G. *Τῶν δὲ κατὰ στίχον τὰ μέν ἐστι μικτὰ, τὰ δὲ οὔ. καὶ μικτὰ μὲν, ὥς αἱ Μενάνδρου κωμῳδίαι· πῇ μὲν γὰρ τετράμετρα ἐν τῷ αὐτῷ ποιήματι* (carmine i. e. scena), *πῇ δὲ τρίμετρα εὑρίσκεται. τὰ δὲ ἄμικτα, ὡς αἱ τοῦ Ὁμήρου ῥαψῳδίαι. Τῶν δὲ κατὰ συστήματα* —.[1]) Hunc ipsum locum ob oculos habuisse videtur Marius Victorinus I, 15 p. 74 sq.[2]) „carminum species sunt tres: alia enim a Graecis *κατὰ στίχον*, alia *συστηματικὰ*, alia *μικτὰ* dicuntur, quae etiam *ἀμετάβολα* et *μεταβολικά*. Igitur *κατὰ στίχον* sunt, quae eodem metro constant, ut metrum epicum Homeri —.“ Sed continuo addit p. 75 „M i x t a a u t e m, q u a e p a r t i m s u n t *κατὰ στίχον*, p a r t i m e x t r i m e t r o e t t e t r a m e t r o m i x t a.“ Adeo Victorinus trimetri tetrametrique compositionem non *κατὰ στίχον* ut Hephaestio, sed *κατὰ σύστημα* factam esse confirmat.

---

[1]) Latinae comoediae imitatio credere nos jubet, similes Menandri scenas partim etiam *κατὰ σύστημα* scriptas fuisse, quamvis id neget Hephaestio.

[2]) Hunc cum Hephaestione compararunt, Terentio tamen Plautoque temere neglectis Gaisfordus ad Hephaest. p. 359 et Meinekius Hist. Comoed. p. 442.

Quanquam utrumque quodammodo verum esse talesque scenas nunc *κατὰ στίχον* nunc *κατὰ σύστημα* compositas supra vidimus. Sequuntur gravissima verba p. 75: „Eadem ferme *ἀμετάβολα* et *μεταβολικὰ* erunt. Nam *ἀμετάβολα* dicta sunt, quod sui generis qualitatem mensuramque semper obtineant, ut sunt Homeri carmina et ea quae *κατὰ στίχον* appellari diximus: μεταβολικὰ autem, quae ab aliis metris ad alia genera transitum faciunt, qualia esse tragica et comica paulo ante memoravi. Nam et Menander in comoediis frequenter a continuatis iambicis versibus ad trochaicos transit et rursum ad iambicos redit.“ Adde eundem p. 66: „Tragicum autem (carmen), quod trimetro magis versu componitur, quo usi sunt Sophocles, et Euripides. Comicum vero varia versuum et modulorum lege compositum reperitur, sicut plerumque apud Menandrum, sed et alios, cognoscimus.“ Quanquam Victorinus sibimet ipse repugnat de tragicis, quorum carmina h. l. facit *ἀμετάβολα*, contra p. 75 eadem *μεταβολικά*. Apparet igitur, ab Hephaestione et Victorino illam ipsam metrorum varietatem, qua Terentius uti consuevit, ad Menandrum auctorem relatam esse. De hoc uno dubitare licet, an hi metrici Menandro praeter trochaicos etiam iambicos tetrametros diserte tribuerint, quum ambo nomina τετράμετρα et iambici versus in ambiguitate versentur. At certe his auctoribus senarios et trochaicos tetrametros Menander in eadem scena conjunxit. Conjunxisse enim Menandrum ea ipsa ratione, quam supra dixi in Terentio plerumque restituendam esse, non ut saepe in Bentleji editione factum est, permiscuisse haec metra et confudisse clarissime docet Victorinus p. 75, qui Menandrum testetur a continuatis iambicis versibus ad trochaicos transisse et rursum ad iambicos redisse. Quod autem ad tetrametros iambicos attinet, certum indubitatumque hujus versus exemplum in fragmentis novae Graecorum comoediae nondum inventum est, sed olim fortassis invenietur. Etsi quis nescit, longe pleraque scenicorum poetarum fragmenta trimetris comprehensa esse, ut metrica eorum disciplina ex istis reliquiis intelligi nequeat. Nam quum ipse Terentius, qui sterilitatem suam fassus in iambis et trochaeis haerere consuevit, semel tamen paucos versus creticos, bacchiacos et choriambicos protulerit, Plautus autem melior metrorum artifex tum haec genera frequentarit tum alia plura excoluerit: apparet, quid de Menandro sentiendum sit, qui in arte metrica certe non inferior fuit Plauto, licet ex hodiernis Menandri fragmentis nihil tale cognoscatur. Itaque non assentior Meinekio, qui in Hist. Comoed. p. 441 sqq. ne comparatis quidem Plauto aut Terentio novae comoediae metra arctis fragmentorum finibus circumscribere ausus est. Quod autem idem V. D. ibidem p. 442 e fragmentis conjicit, graecos novae comoediae poetas iambicis tetrametris nunquam usos esse: id jam olim dixi[1])

[1]) De Monodiis Euripideis I p. 51.

prorsus incredibile videri quum Aristophanem tum Plautum [illegible] ranti, qui hoc metro tantopere delectati sunt. Accedit, quod [illegible] repugnare videtur Marius Victorinus p. 172, ubi de tetrametro [illegible] mico (sic enim appellat similiter ac Varro apud Rufinum p. [illegible]) [illegible] habet: „Frequens hoc comicis metrum et praecipue antiquae comoediae scriptoribus — est enim jocosis motibus emollitum“ caet. Ergo vel maxime probabile est, Menandrum non solum cum iambicis trimetris trochaicos tetrametros conjunxisse, verum etiam utrosque tetrametros et trochaicos et vero iambicos consociasse, prorsus uti fecit imitator ejus Terentius. Ceterum bene Victorinus p. 66 docet, comicum carmen varia modulorum lege compositum plerumque apud Menandrum, sed et alios reperiri. Itaque alii poetae si minus mediae at novae certe comoediae parcius modo quam Menander idem fecerant, quae res hodie non magis exstat. Certe dubius atque suspectus versus est Alexidis ap. Athen. XIII p. 568, d v. 27, in quo Dobraeus tetrametrum acute restituit; Antiphanis autem locus ap. Athen. XI p. 471, c et ibid. XIV p. 642, a non male pro parodia habitus est et vel propterea minus huc pertinet. Denique Hephaestioni et M. Victorino repugnare videtur, neque eo magis tamen vere repugnat Firmianus ap. Rufinum p. 387, qui ridicule narrat, Terentium in modulandis fabulis non Menandrum, sed Aristophanem aliosque veteris comoediae poetas secutum esse. At Firmianus alium ipsius M. Victorini locum p. 105 et p. 380 ac potius initium hujus loci quum verbotenus paene descripsit, tum plane idem pervertit. Atqui M. Victorinus l. l. minime de ipsis metris disputat, sed tantum de ordine, quo singula metra ab initio ad finem comoediae sese exceperint. Recte autem Victorinus l. l. consentiente partim Prisciano Metr. Com. p. 413 et iterum p. 414 sq. tradit, Terentium prologos scenamque primam trimetris comprehendisse, in secunda scena tetrametros locasse, postea variasse, sed in exitu rursum quadratos posuisse: quem metrorum ordinem non e Menandro sed ex Aristophane petitum esse confirmat. Ac profecto prima post prologum scena trimetris continebatur et in vetere Graecorum comoedia et in palliata latina, quorum utrumque sic plane exstat et in Terentio et in Aristophane. Jam illud quoque Victorino concesserim, primam hanc scenam non trimetris sed aliis metris scriptam fuisse in nova Graecorum comoedia. Primum enim in Leucadia Menandri prima post prologum scena constabat anapaestis dimetris, in quibus illud fuerat *οὗ δὴ λέγεται πρώτη Σαπφὼ κτλ.* Porro Diphili adolescens, qui lenoni meretricem eripuerat in prima fabula (ut ait Terentius, h. e. *ἐν τῇ εἰσβολῇ,* de qua dixi ad Arist. Thesmoph. p. 457), haud dubie non trimetris, qui a tanto animorum motu abhorrent, sed tetrametris trochaicis usus erat, ut imitator ejus Terentius. Itaque in Diphili *Συναποθνήσκουσι* prima scena scripta erat tetrametris. Hanc scenam Plautus in Commorientibus plane omiserat (metri ut arbitror causa, non

[illegible]), Te[illegible] loco inseruit in [illegible] Act. II Sc. I. Totam rem Terentius ipse enarrat in Adelph. Prolog. [illegible] 11. Ceterum de Victorini loco sic disputat Meinekius in Hist. Com. p. 445: [illegible] — hoc tamen [illegible]m, alium apud Menan[illegible] metrorum ordinem fuisse. Quod si verum est, simul etiam [illegible] iis quas latini poetae de graecis verterunt [illegible] non eadem ubique metrorum genera graecis (exemplaribus [illegible] In quibus tametsi aliquid veri inest, tamen V. D. Diphili Συνα[illegible] immemor fuit neque cogitavit, etiam transponendo, omittendo denique contaminando saepe caveri potuisse, ne latina metra a graecis nimium discreparent. Sed in aliud tempus reservanda est altera eaque gravissima pars hujus disputationis, qua in parte et exceptiones ejus, quam supra posui regulae pertractari debent et Terenti scenae e contrariis tetrametris compositae emendari atque restitui. Haec hactenus.